

D. D.

DISSERTATIO GRADUALIS,

DE

JUSTA IMPUTA- TIONE FACTI ALIENI,

Quam

*Ex approbatione incluti Philosphorum ordinis in floren-
tissimo ad AURAM Helicone,*

MODERATORE

VIRO Cl.

D^N. ALGOTHO A. SCARIN,

Histor. & Philof. Civ. Prof. Reg. & ordin.
publico bonorum examini modeste subicit,

ISRAEL ÆIMELÆUS,

Ostrobotniensis

die VII Martii MDCCXLVII.

Loco horisque solitis.

ABOÆ, Excud. JOH. KIÆMPE, Reg. Acad. Typ.

S:æ R:æ M:is
Magnæ Fidei VIRO,
Summe reverendo atque amplissimo

D^N. ANDREÆ BERGIO

S. S. Theol. Doct. celeberrimo, Eccles. S:ti Nicol. AN-
TISTITI, PASTORI inter Holmieneses PRIMARIO longe
dignissimo, Consistoriiqve ibidem urbici PRÆSIDI gra-
vissimo

MÆCENATI MAGNO,

VIRO

Maxime reverendo atque Celeberrimo,

**M^{AG}. SAMUELI
BRUNO,**

Poëteos PROFESSORI Regio & ordinario, Ecclesiaz Pzma-
rensis Pastori longe dignissimo, utriusqve Consistorii
Adessori æqvissimo
MÆCENATI OPTIMO

Ignoscatis, MÆCENATES benignissimi, quod dissertatum
feci non tam ex more apud omnes recepto, quam, potius
grivissima VOBIS diu multumq; obstrictum sentio. Tantis be-
tamen concedere velitis redhostimenti tesseram hancce, VE-
niol's festinatam, qua Jotesis serena atqve facili fronte, meque es-
mini. Pro VESTRA VESITORUMq; perenni felicitate, dum
solicitare

MAGNORUM NOMI-

Cultor & cli-

ISRAEL EI-

VIRO

Summe reverendo atque celeberrimo

D^N. JOH. BROWALLIO

S. S. Theol. Doct. & PROFESSORI ad Regiam Academi-
am Aboensam primario, Diœceseos ibidem ARCHI PRÆ-
POSITO meritissimo, utriusque Consistorii ADSESSORI
gravissimo,

MÆCENATI MAGNO.

VIRO

Maxime reverendo atque celeberrimo,

**M^{AG}. CAROLO FRIED.
MENNANDER,**

Scientiarum Naturalium PROFESSORI in Regia Academia
Aboënsi celeberrimo, in *Quibus* Pastori vigilantissimo, u-
triusque Consistorii Adessori accuratissimo,
MÆCENATI OPTIMO

*culam hancce incomtam VESTRIS ornaverim NOMINIBUS, Hoc
ex debito, quo me propter, beneficia numero plurima, pondere
mesciis, quae rependatur, digna res nulla videtur. Rogo
STRIS aris offerri consecrarique. Adspiciatis primitias inge-
fortunas meas VOBIS usque quaque commendatas esse patia-
bas vitales hausero auras, DEUM O, M. ardentissimis suspiriis
non desinam*

NUM VESTRORUM

ens devotissimus

MELÆUS.

VIRO admodum reverendo atqve praeclarissimo

Dn. JOHANNI ALTAN;

**Ecclesiarum, quæ DEO in Locbeâ colliguntur, ANTI-
STITI longe meritissimo, ad jacentis districtus PRÆPOSITO
gravissimo, avunculo summa animi veneratione ætatem
colendo.**

VIRO plurimum reverendo atqve praeclarissimo

Dn. Mag. ISAACO PELDAN,

**PASTORI Lappierdensium optime merito, Avunculi lo-
co, nullo non tempore singulari mentis veneratione
prosequendo,**

Plurimum reverendo atqve doctissimo

Dn. ISRAELI ALFTANO,

**Sacellano in Kyro majori meritissimo, Avunculo pia
mente perpetim colendo.**

O *pellam hanc qualemcunqve, ob favorem mi-
stris, cum voto omnigenæ felicitatis sacram*

NOMINUM

cultor humillimus

ISRAEL ÆI.

VIRO admodum reverendo atque praeclarissimo

Dn. GABRIELI PELDAN,

Ecclesiarum Ilmoleusium *PASTORI* longe meritissimo, o-
mni obsequii genere, Avunculi loco, æternum deve-
nerando.

VIRO consultissimo

Dn. HENRICO KLOUVENSICH

Civitatis Brahestad. Consuli dexterrimo, Affini honora-
tissimo

VIRO Spectatissimo

Dn. ERLANDO PETRO TÖRN,

Inspectori Tabellariorum in Ostrobotnia dexterrimo,
Affini dilectissimo.

hi præsinitum prorsus singularem, Nominibus Ve-
esse volui; quoad vixero permansurus

VESTRORUM

& observantissimus

MELÆUS.


UIRO admodum reuerendo atque praeclarissimo,
Dn. NICOLAO ÆIMELÆO,

Pastori in Storbyro longe dignissimo,
PATRI carissimo.

GRatulor jam, PATER carissime, mihi de occasione toties desiderata, qua licet venerationem in Te meam, in praesens usque non nisi animi pietate effervescentem, oculis omnium dijudicandam nunc quoque proponere. In herba messera apporto sementis illius, quam ipse fecisti. Cum tempore, maturitas utrum sit speranda aliqua, quae curae atque culturae Tuæ respondeat, providere Tuum est & impraesentiarum decernere. Est fateor non nisi leuidense, quia praecceptum munusculum. Sed cum in re tenui mea, magis coctum quod afferam, nil habeam, ut grati animi non significationem, sed saltem significandi imperum huncce aequi bonique consulere velis, Temet humillime rogo. De cetero Summum vitae & rerum omnium nostrarum MODERATOREM precor, velit ille efficere, ut viridi senectute, in longam annorum seriem, efflorescant capitis insignia Tua, idque gregis & ecclesiae non minori emolumento, quam Tuorum desideratissimo praesidio. Divinus Favor, qui solus quamlibet pii voti aviditatem explere novit, optata mea fortunet & felicitet, quae, dum sinunt fata, aetatem fundant

Carissimi PATRIS

Filius obedientissimus
ISRAEL ÆIMELÆUS



§. I.

Conscientiam tanquam judicem *summum*
NUMEN animis indidit hominum,
quæ illos aut conformitatis aut diffor-
mitatis *actionum* cum lege convinceret. Est illa
velut pædagogus quidam animæ sociatus, de
iis quæ ad perfectionem spectant admonens ho-
minem, & de incongruis eundem arguens, &
tantum non omnia, quæ domi & in familia ge-
runtur, subtili atque acuto sensu observans. hinc
ejus vim hanc maxime esse videmus, ut non
possit non, actione patrata, statim aut excusare
aut accusare hominem, hoc est ostendere at-
que indicare vel consentum vel dissentum judi-
cii antecedentis & consequentis de *moralitate*
actionis. Hæc est causa etiam, quare eandem, pu-
ta conscientiam, nisi obdormiverit, in illum mo-
dum affectam mortales experiamur, ut vel tran-
quillitate atque lætitia fruatur, cum quid boni nos

egisse noverimus, vel dolore contristemur, tæ-
disque ardentibus, nescio quibus non exagitari
incipiamus, quoties iniquitatis, culpæ atque delicti
gravioris cujusque ipsa nos convicerit atque da-
mnaverit. Sed non damnat conscientia *recta*
modo omnem in homine actum rationi contra-
rium. Cum rationes animum per æque strin-
gentes sese offerunt, obducitur eidem quasi
nebula quædam, quæ mentis aciem hebetat,
ita ut quid beatam vitam efficiat, sine dubita-
tione conspiciere nequeat. Maris instar modo
sursum propelletur. iterum post paullo in con-
trarium sensum distrahitur; hincque ignarus
homo evadit, utrum bene, an verò male fe-
cerit; utrum actus laudem atque præconium,
an vituperium meruerit; utrum præmium an
ignominia effectum leqvatur. Hoc pendulo & pro-
pe vagabundo prudentiæ humanæ, puta *intellectu*
imputationis, alii eo redacti sunt, ut culpam
sine ratione finxerint, cum talis nulla præsto
fuit. Solent illi sibi, fluctuante animo, curam
asserre ægrimoniamque nulli rei utilem neque
necessariam; cum contra alii a conscientia sti-
mulis, adeoque timore omni illius securi a-
gant, criminis & culpæ invidiam omnem,
quæ anxiam mentem urat, a se removeant, &
denum

3

demum justam earum actionum imputationem
 negent, quæ tamen juste imputari possunt.
 Obtingere illud solet circa imputationem *facti*
 imprimis *alieni*; Quod enim istæ actiones ho-
 minibus imputentur, quæ priusquam exstiterunt,
 jam ante a majoribus commissæ sunt, hoc ra-
 tione sua se quidem nullo modo capere posse
 contendunt. Tetigit problema hoc ipsum ce-
 lebris Angliæ philosophus *DANIEL WHIT-
 BY*, cum contra auctoritatem *Scripturæ*, fidemq;
 per tot temporum intervalla receptam & vin-
 dicatam, *peccatum Adami non posse posteritati*
ejus imputari, adstruere aggressus est (*) *Ne-*
que multum ab opinione illa abesse censenda
 est illa quæstio, cui celeb. *CANZIUS* integra
 volumina superstructa esse pronuntiat: (**)
 Num corruptio hæreditaria & quæ labes primigenia au-
 dit, poenæ à DEO immixtæ severitatem meruerit?
 Præstat ergo intimius indolem imputationis, item-
 que fundamenta & principia, quibus superstrua-
 tur, rimari. hujce enim detectis, adeo non ma-
 gno negotio deprehendetur, quæ justa sit, quæ
 injusta imputatio; cui actio ^{nam} assignari conveniens
 sit, & demum cui in acceptis eandem fru-
 stra quis retulerit. Nos in publicum iterum
 prodituri, curriculum mentis, *justam imputa-*

tionem facti alieni, præ aliis argumentis, in quo indulgiam nostram exerceremus, elegimus. Cum vero ad illud recte & ordine emetendum vires desint, desint cetera quoque rei bene gerendæ illius instrumenta, subtilium & quasi extrema linea, quæ eodem pertinent, contrectare nobis in præsentia satis erit. Quod si hac illac aut deficere aut offendere vides curam cogitationemque nostram, ita ut tenuis Minerva expectationi tuæ non satisfaciat, Tuum erit L. B. levare invidiam, Tuamque nævis meis, humanitatem prætere.

(*) *vide Schub. Mor. pag. 70.*

(**) *Canzii jur. prud. sect. 4. Cap. 4. p. 697. §. II.*

Quando quis declaratur pro auctore facti, dicitur factum ipsi imputari; est itaque *imputatio, declaratio alicujus pro auctore facti* (*). Sunt nonnulli, qui faciunt distinctionem inter *Imputationem metaphysicam & moralem*. Illa etiam vocatur *nuda*, quando quis declaratur auctor facti simpliciter, nullo habito respectu consequentiarum, quæ factum sequuntur; hæc verò, *conjuncta scilicet consequentiis facti*, cum lex applicatur ad factum, & quaestio instituitur: num licitum sit habendum factum, vel non? utrum

laudem vel vituperium, præmium an vero pœnam meruerit? In significatione posteriori nos in sequentibus imprimis, *imputationis* notionem adhibitueros, est quod in antecessum observari velim, quo intuitu nostram etiam facimus definitionem celeberrimi CANZII (**). *Imputatio est declaratio pro auctore, ejus, ad quem actio, ideoque etiam nexus sive pœnae sive præmii, pertineat.*

(*] vid. Pufend. de O. H. C. L. I. C. I. §. 17.

(**) Canzius de Civ. Dei sect. 4. C. 4. § 1802.

§. III.

TRadita definitione *imputationis*, præstat jam aliquid de fundamento ejus loqui. Testatur unius cujusque experientia, quod cum per sensus aut imaginationem nobis sese offert objectum aliquod, in nobis mox nisus atque inclinatio quædam oriatur, qua ferimur versus objectum, ubi illud, intellectus adminiculante judicio, nobis tanquam *bonum* repræsentaverimus; e contrario verò, renisus atque reclinatio quædam in nobis sese exlerat, cum objectum tanquam *malum* percipimus. Ejuscemodi repræsentatio *boni*, si præcesserit distincta quædam, *nisus* ipse *appetitus rationalis* audit, sive voluntas

luntatis; *mali vero*, nomine *averſationis rationalis* ſive noluntatis venit. Cum vero voluntas ſit niſus ſive inclinatio verſus bonum cognitum, ſequitur eandem ſemper in actum prorumpere, niſi impedimenta inſuperabilia obſtent. Inde patet, quod voluntas per ſe ſufficiat ad id exiſtentiae dandum, quod bonum iudicat, & ab exiſtentia impediendum id etiam, quod malum ſibi repraeſentat, & hoc caſu vocatur voluntas efficaciſſima atque conſtituit *proaeſin*. Ratio vero quare *factum* ad facientem referri, eique ut auctori imputari poſſit, eſt *Proaeſis*. Nec celeberrimus Pufendorffius eſt alienus a noſtra ſententia, cum *ſine libertate voluntatis in agendo, actionem alicui imputari poſſe* negat. Nec aliqua propior cauſſa effingi, aut naturae rerum magis conveniens dari poteſt, quam ut actio humana, quae in libertate hominis rationem ſufficientem habet, in tantum ipſi imputetur, in quantum ſcivit & voluit actionem, quisquis ad eandem patrandaſememet accinxerit. Fundamentum igitur omnis actionis humanae ejuſque imputationis eſt, quod non alius, ſed ipſe ſemet ad agendum determinaverit. Eſt illud attributum omnis ordinis baſis, ac ſocietatis firmamentum, ſine qua conſiſtere illa nullo modo poſſit.

fit. Quod enim iniustitiæ genus non esset, sub-
 jicere pœnis aliquem ob actionem, quam noluit,
 vel saltem impedire non potuit, adeoque quæ
 ratione *ipsius* præstita impossibilis omnino fuit?
 Inter agendum voluntas ab *ipsa* movetur versus
 objectum; demtoque illo naturæ humanæ pri-
 vilegio, inter statum hominum atque bruto-
 rum omne discrimen periret, socialis vitæ
 pulcritudo evanesceret, & a qua abhorret ge-
 nus hominum, *Leonina* inter ipsos *societas*,
 opinione citius recrudesceret.

§. IV.

TActo ipso *imputationis* fundamento, jam
 ad illius, quæ in rubro sequitur, notio-
 nis, puta *facti* expositionem pedem promoveo,
 illud definiens per *actionem liberam, sub certis*
circumstantiis, ad legem relatis, consideratam.
 Est hoc vel *proprium* vel *alienum*. *Proprium*
 dicitur, quando ratio, quare factum existit, non
 tantum continetur in alicujus corporis membro-
 rum adplicatione, sed ad cujus *voluntatem* et-
 iam facti existentiæ referri potest. *Alienum* ve-
 ro quando existentiæ facti, tantum ad voluntate
 tem ejus potest referri; alia existente causa
 facti physica. Quod adinet factum, quod im-
 putabitur, nemini non ex data definitione im-
 putat

putationis clarum & perspicuum est, eandem
 ceu attributum essenziale, ad illius constitutio-
 nem, aut, si mavis dicere, formam, neces-
 sario requiri. Quemadmodum omnis imputatio
 supponit existentiam facti, & quidem talis, quod
 ab usu virium *illius* omnino dependet, cui i-
 stud imputabitur; hinc *impossibile* absolute
 loquendo, nulla datur imputatio. Dico abso-
 lute; in hypothese enim multa, quæ, ceu im-
 possibile impræsentiarum imputari nequeunt,
 adscribi tamen nobis possunt, & ceu auctori-
 bus adsignari, intuitu virium, quibus ad præ-
 stationem facti jam ante instructi fuerimus,
 sed quas culpa nostra ipsi profuderimus. Igitur
 si impotentia ad agendum culpâ propria nostra
 sit contracta, obligatio, qua tenemur, ideo non
 tollitur. Quid? quod sub imputationem neque
ignorantia cadit, neque *error*, si invincibilis il-
 le fuerit, sed tantum vincibilis. De actionibus
coactis, præcipue illis, quæ fiunt per violen-
 tiam physicam, idem valet, quod de impossibi-
 libus aliisque diximus; cum enim coacte, id est,
 non nisi alieno motu impulsuque agimus, ratio
 non in nobis, sed in vi cogente continetur;
 hinc nec voluntas nostra ad facti existentiam
 referri potest. Ubi enim nulla ad agendum vo-
 luntas,

luntas, ibi nec consensus; consequenter ulla neque imputatio; licet sit illud in præsentia non omnino prætermittendum Grotii axioma, quo involuntarium ex voluntario ortum, morali estimatione, pro voluntario habendum esse censetur. (*) Utrum in se, an verò in causis suis, actio voluntaria sit, perinde est; culpa semper tamen ignorantis manet. Deniq; cum omne factum, quatenus determinatur prælucente intellectu & discernente voluntate, præsupponat in agente usum rationis, proprie non cadere imputationem in amentes, furiosos atque infantes, non longè quisque videt. Quo verò in antecessum posito, patet non omni agenti factum suum posse imputari, sed nec illud semper requiritur ut factum sit proprium, potest etiam alienum imputari, de quo jam agendum venit.

(*) De J. B. § P. L. II. C. 16.

§. V.

CAussa facti dividi solet in *physicam* & *moralem*. *Physica* dicitur illa, quæ factum propriis suis viribus existentiam dat; *Moralis* verò, quæ vult quidem factum existere, sed nullo labore corporis ad idem existentiam dandum concurrat. Consideratur causa physica, quæ talis, tantum ut instrumentum sive corpus agens.

gens. Omne vero corpus cum sit materiale & compositum, inde ulla neque gaudet ratione. Ubi vero non est ratio, nullus ejus actus, neque usus, ibi ulla neque imputatio locum habere potest. Ergo nec causæ *physicæ* quæ tali, factum imputatur. Hæc est ratio quare illa, mere talis, in sphaera morali parum attenditur. Non tamen est, quod concludas inde facta propria nobis non imputari, quia sumus eorum causæ *physicæ*. Nempe in humano, id est entium intelligentium genere, quæ causæ *physicæ* sunt, eadem crebro & fere semper causæ *morales* etiam esse solent. Causa *moralis* verò est, cui factum unice imputatur; ab illius enim motu voluntatis, omnis actus specificatio dependet. Talis causa quicumque extiterit actus alicujus, eidem effectum ex actione quoque imputari posse, ex dictis manifestum est.

§. VI.

Qui consentit & vult ut factum ab altero aut suscipiatur aut omittatur; vult idem etiam crebro, ut idem factum, quod alter egerit, ipsi imputetur. Ejusmodi consensus in factum alterius, efficit aliquem causam *Moralem*. Patet enim ex antecedentibus, quod illa causa *Moralis* sit censenda, quæ vult factum existere, etiam

iam licet nulla corporis operâ ad largiendum
 actui existentiam quis concurrat. Qui vero con-
 sentit in factum alterius, is idem omnino quo-
 que velle præsupponitur. ergo, consensu in-
 terveniente, quis causa moralis evadit. Per
 eundem consensum igitur factum moraliter no-
 strum existit, quatenus existentiam accipit quam
 nos volumus, ita ut perinde sit atque nos i-
 psi idem patravissemus. Corpus enim quando
 committit actiones liberas, quas voluntas de-
 crevit atque jussit committi, haud aliter con-
 siderari potest quam instrumentum. idem quod
 vult canon in *moralis* doctrina notissimus: *causæ
 physica nulla imputatur, actio*, quemadmodum di-
 ctum modo fuit. Igitur si consideratur agens ut
 instrumentū; instrumentorū autem, quorum unum
 pro altero identidem applicari & potest & so-
 let, quoniam ad illud quod volo obtinendum,
 in agendo, utar, perinde est: ergo perinde e-
 rit, meis corporis membris, meis viribus, an ve-
 ro alienis ad id existentiae dandum utar, quod
 existentiae dare volo, Cum vero factum idem
 sit, quod committi ego omittive volui, ad me
 relatum neque aliam æstimationem inveniatur,
 quam si ipse commissem vel omissem, remane-
 ret demum, quod cum accepit alienum fa-

Etum eandem existentiam, quam nos intendimus, insimul *moraliter* nostrum quoque factum evadat; ita ut quæ in antecedentibus diximus de factis, quæ ipsi agenti possunt imputari vel non, ceteris paribus, eadem valere quoque sint censenda circa imputationem facti alieni. De consecrariis, quæ, quam factum ipsum, anxie magis alii appetere solent, idem dicendum. Neque enim obstat quidquam, quo minus omnis, qui consecraria vult, is ipse auctor facti quoque haberi queat, etiam si in factum ipsum idem nunquam consenserit. Patet hoc ex doctrina pactorum. Pone enim quod *A* pactum iniverit cum *B*, de officiis aliis aliisque, intra certum temporis spatium præstandis; *B* verò eadem præstare non possit; sed *C* vult constitui ejus loco, eaque implere ad quæ *B* obligatus erat. Si jam *A* adquiescit in *C*, nil obstat quin possit *C* imputari idem quod imputabatur *B*; quoniam adest mutuus consensus in idem placitum. Juste ergo ipsi imputatur, qui vult auctor facti, quoad consecraria haberi. Ex hoc fonte intelligitur, quod juste *DEUS* egerit, cum *FILIO* suo peccata hominum imputaverit. Exinde verò non sequitur ipsum consensisse se in ipsa peccata. Paulus etiam, etsi imputari sibi

sibi patiebatur mala atque damna, quæ Onesimus Philemoni adtulerat (*); non tamen inde licet concludere, ipsum præbuisse consensum iis, quæ ab Onesimo perperam acta fuissent. Ex dictis autem patere arbitror; sine consensu in factum aut saltem conlectariorum ejus, non dari justam imputationem facti alieni.

(*) Ep. ad Philem. v. 18.

§. VII

Sic evicta imputatione facti alieni, jam ad casus aliquos speciales oportet descendemus. Diximus ejuscemodi imputationem facti alieni niti consensu; hinc prius oportet explicemus varios consentiendi modos, quam ulterius in explicatione propositi thematis, pedem sine offendiculo promovere possimus. Qui ea, quæ sequuntur actionem, tantum in se redundare vult, consentit ut privatus (*). Qui vero vult actionum sequelas, non ad ipsum, sed per se ad alios referri, ut sociatus (**). Qui vero utrumque vult simul, ad illum uterque respectus etiam pertinet, cum privati tum quoque sociati (***) Ejuscemodi sociati actiones non possunt aliis imputari, nisi præcesserit eorum, quorum interest, consensus; nulla enim sine consensu datur alicujus acti, præsertim verò alieni impuratio.

bi vero imputantur aliis sociatis, oportet necessario prius consensum in easdem actiones adfuisse.

(*) Homo in CHRISTUM credens, qui vult ut mortis consecutaria illius ad se saltem pertineant.

(**) CHRISTUS e. g. qui voluit, ut omne quod morte sua promeriturus esset, in salutem hominum fieret.

(***) e. g. Judæi in sententiam Pilati, Christum condemnantis, consentientes; dixerunt enim: sanguis ejus veniat super nos & liberos nostros.

§ VIII.

Qui ita agit, ut actiones ejus totius societatis esse existimentur, Caput dicitur representativum. Hic agit vel ut sociatus (*) vel ut privatus & sociatus simul (**) Iterum ex data notione Capitis representativi patet omnibus sociatis ejusdem facta imputari. Quia neque negari potest, sociatos imputatione ista liberari, si dissensum in tempore, idque aperte ostendunt atque declarant. Cum enim consensus sociati capitis non valet, nisi sociata membra quoque consenserint; quæ vero dissentiant non consentiunt; hinc patet illis actionem sociati non posse imputari, qui discessu personali a consentiendo

tiendo opportune recesserint.

(*) *CHRISTUS* toto opere redemptionis egit ut sociatus.

(**) *Adamus in paradiso ut privatus & sociatus simul.*

§. IX.

Quid consensus sic expressus atque tacitus omnibus notum est. Expressus verbis, tacitus factis declaratur. Distinguitur adhuc consensus ab aliis in *presumptum* atque *interpretandum*. *Presumptus* dicitur ille, qui secundum leges adesse debet; adeoque etiam ab ignorantibus atque invitis declaratur. *Interpretandus* vero dicitur is, qui ex nexu sociatorum cum capite societatis intelligitur, in iis maxime negotiis, quæ respiciunt omnes sociatos. Celeberrimus Canzius characterem hujus consensus tradit. (*) Quoties posterorum nostrorum interest, hoc ut agamus aut omittamus, actionis effectu in ipsos redundaturo: toties non solum ut sociatum temet cum illo agere scias; sed & illos consensu interpretando, tuam actionem, usque dum existant, & personalem consensum declarare possint, ratam habere memento. Quoties autem posterorum nullatenus refert te hoc aut illud agere, privatum temet agere certum

tum est. Sunt qui negant nullam dari differentiam inter *consensum præsumentum* atque *interpretandum*; sed distinguuntur præcipue ex hisce, quod interpretandus etiam inicitur ab illis, qui nondum existunt, sive qui non adhuc gaudent facultate consentiendi; præsumentus vero ab illis, qui eadem jam gaudent, dein *interpretandus* fit etiam sine lege, non vero præsumentus; & quod maximè valet: *interpretandus* tolli tum primum potest, ac dissentus personalis intervenerit; sed *præsumentus* non item, qualiscunque præsumentur dissentus.

(*) *vid. Canzii Civ. Dei sect. IV. Cap. IV. §. 18. 31.*

§. X.

Hisce præmissis, adeo non difficilia sunt explicatu ea, quæ identidem occurrunt in variis negotiis publicis. Exempli loco possunt esse *pacta*, jam ante aliquot secula inita, eademque posteros eorum obligantia, qui eadem pepigere. Pone eadem pacta, quæ ætate majorum profuere, jam posteris difficultates atque incommoda varia creare; num ideo posteri excidunt atque liberantur obligatione, jusque habent frangere eadem, quæ ætatem duratura essent? neutiquam. Considerantur enim majores

jores atque posteri tanquam sociati, vivuntque moraliter in eadem societate. Hoc experientia atque ratio simul docent. Si enim non viverent in eadem societate, nullus eorum haberetur respectus, nullaque actiones majorum dirigerentur in bonum atque emolumentum posterorum, cujus tamen contrarium testatur experientia. Eorum enim causa negotia gerimus, labores suscipimus, pericula adimus; immo socius & quam sapissime vitam pro illis profundimus. Nisi posterorum haberetur ratio, hæ actiones si non omnes, ad maximam saltem partem omitterentur. hinc in foederibus incundis non minimam haberi posteritatis rationem, manifesta res est. Hæ vero actiones quot & quales sint, non quadrant nisi in *sociatos*. Si jam posteri nobiscum sunt sociati; vivimus utique in societate cum illis *moraliter*. societas vero nulla concipi potest sine pacto, & pactum nunquam inicitur sine consensu eorum, qui idem pangent. Cum vero posteri sint in societate, adparet quod etiam pactum iniverunt: adeoque *interpretando* quodam modo consenserunt ad ea, quæ majores, aut tanquam *sociati*, aut tanquam *privati* & *sociati* simul, acturi essent. Hoc evicto, nempe quod *interpretando* modo

consenserint in facta majorum, sequitur quod
 etiam obligentur ad pacta eadem servanda,
 quæ majores eorum pepigerunt. Non ergo ju-
 stam causam posterius habent ad ea pacta vio-
 landa, quæ illorum bono, multo ante sunt san-
 cta. Sunt quidem, qui negant posteros con-
 sensisse ad facta majorum, ideoque nec obstrin-
 gi ad eadem servanda, in quantum varia ex
 iis profluant incommoda, sed utrum non ad
 illos, qui sunt sociati cum majoribus, quique
 bonis a majoribus relictis fruuntur plurimis, po-
 tiori jure aliquid damni pertinebit, quam ad
 illos, qui sunt extra societatem, quique nullo-
 rum bonorum participes sunt facti? si hoc ne-
 gas, statuis eos unum in nexu eligere, alterum
 vero respuere posse, quod tamen fieri nequit.
 Ideoque nec potuerunt consentire in illud
 tantum quod utile, sed in id etiam quod da-
 minosum est, quatenus eodem nexu utrumque
 comprehenditur. *εὐκαίπρια* sunt, quibus misce-
 tur vita hæc humana. *Qui dulcia gustare vult,*
gustabit simul amara; nec enim ille, qui glo-
 riam bellicam sibi vult comparare, ad ea tantum
 potest consentire, quæ commoda, utilia atque
 jucunda sunt; sed oportet etiam consentiat ad
 labores, defatigationes, aliaque omnis generis
 mala,

mala; quæ militiam sequi solent. Hæc si nolit, neque priorum compos evadet, quatenus sunt connexa. Sed pone posteros, dum existere incipient, tantum eligere bona, respuere vero mala; velle eos tum constitui extra nexum adparet, & plane perire; id quod velle absurdum erit; quia est illud majus malum, imo terribilium omnium terribilissimum. Voluntas enim aut adpetit *bonum*, aut inter duo mala *minus malum*; sed minus malum est existere in nexu, quam extra nexum. ergo etiam volunt existere in nexu. In nexu vero sunt bona & mala; hinc non possunt non bona & mala eligere; eundemque sine dubio nexum illustri *HERMELINUS* respexit (*) cum facta, imo supplicia parentum in liberos aliquando derivari posse, non rationi neque legibus contrarium esse asseruit.

(*) *Dissert. de Originibus Livon. pag. 38*

§. XI.

HÆc gravissimorum decreta *philosophorum* si rite perpenderit, videbimus non immerito facta *majorum* imputari *posteris*, quandoque præsumitur eorum consensus ad majorum gesta. Probari hoc potest exemplo *Amalekitarum*, a quibus *DEUS*, non nisi justus

vindex, ultionem sumi iussit, *I. Sam. 15: 2, 3.* ideo quod populo Israëlitico ab Ægypto ad terram Canaan iter facienti, impedimento fuissent. Quod illi, qui pœnam luerunt, posterius fuerunt Amalekitarum, patet exinde, quod Israëlita Ægypto sint egressi, cum principatum populi sui *Moses* atque *Josua* gererent; Amalikitæ vero pœnas darent demum tempore regis Saulis, non nisi post decursum 400. circiter annorum. Si vero objiceretur, quod adeo non certe, hac de re decerni possit dijudicarique, quoniam ea tempestate homines proveciorem attingere ætatem, ita ut iidem, qui peccarunt, adhucdum vixerint: sufficit pro stabilienda nostra hypothesi, quod etiam liberi, qui in cunis vagiebant, occidi atque ultioni dari iussi fuerint. Exemplum huius rei clarissimum habemus etiam in nepotibus Saulis, qui ob eius delictum morte mulctabantur *2. Sam. 21: 1. seqq.* Quod hi consenserint ad idem delictum, non est quod dubites, quoniam dissensu personali contrarium non declaraverunt. De posteris Ammonitarum perinde constat, *Jud. 11: 32.* quod, cum post trecentos annos immittere in peculium majorum suorum postularent, propterea quod adeo non dissentium ut potius contentum significarint eorum,

rum, quæ a majoribus perperam acta fuissent, internecone omnes deleti fuerint. Atque ex hoc fundamento factum etiam iudicium explicari posse videtur, quo Servator *Matth. 23.* Judæicam flagitiorum licentiam increpabat, adnumerando populum eundem homicidis plus minus mille annorum; quamobrem cum avis & proavis poenis iisdem etiam subicerentur. *Abelis enim, aliorumq; sanguis veniret super illos.* Quæ admodum enim *Cainus* malignantium primicerius statim initio hostis erat ecclesiæ Dei; sic etiam *Judæi.* Occiderunt temere illi quoque Prophetas, & facto illo suo adprobarunt factum *Caini.* Quin cum si loco ejus fuissent, idem scelus commisissent, remanet, quod post tot secula, accedente approbatione majorum noxæ, in culpam & reatum eundem non immerito inciderint.

Exempla huiuscemodi imputationis etiam in foro humano, ne divinæ justitiæ rigorem perperam ad humana trahi nobis objicias, inveniuntur. Legibus *Romanorum* constitutum erat; in castris dimidiam partem eorum, quæ milites consequerentur, apud signa sequestrari debere, ibidemque justo usui militum conservari, ne per nequitiam bona sua temere illi abligurirent; sed
 recor-

recordantes alex & fortunarum suarum partem apud signa depositam esse, de deserendo loco non cogitarent, verum pro signis, aris puta focusque, in acie fortiter pugnarent. Hanc ob causam eligebantur vexilliferi, non alii, quam quorum fides penitus perspecta erat. Pertinebat ad illorum officium accurare rationes rerum atque copiarum, quæ suæ dispensationi commissæ essent. Id si non possent *ob recepta militum stipendia & aes militare, obnoxia erant, in subsidium, non dotalia tantum uxoris bona, sed & liberorum quoque facultates pro illis fisco tenebantur* (*). Nec hoc sine ratione fecerunt, quoniam ejuscemodi fraudatio, testante eodem auctore, *ad totius reipublicæ everisionem quodam modo spectare videbatur* (**). Hoc institutum nec adeo caruit justitia. Eodem quippe jure ac posteri, ob majorum perfidiam, bello invadi, bonis exui, patria pelli, aliisque modis vexari possunt, quatenus in societate eadem existentes considerantur tanquam una persona: eodem jure etiam liberi, ceu membra societatis simplicis, possunt adstringi ad reddendam eorum rationem, quæ parentes fecerunt; Rectius illi certe aliquid damni patiuntur quam alii, qui sunt extra istam societatem, & ad urgens malum

malum minus saepe contulisse censeari poterint. nulla enim adest ratio, quare illi juribus suis excidant. Obtingit quotidie hoc idem in principibus & civibus honoratioribus, ut ob parentum facta, una cum illis, regno & gradu sublimi suo excidant, quarum maximarum rerum, hereditatis justo titulo, alias participes evadere debuissent.

(*) *vid. Gvidonis Pancivolti rerum memorabilium sive deperditarum pars posterior, p. 281.*

(**) *pag. eadem.*

§. XII.

Eadem ratio est peccati Adamitici, quod iuste posteris ejus imputatur. Societatem summum NUMEN voluit esse universum genus humanum. Cum vero societas non potest concipi sine consensu; hinc etiam requiritur omnium consensus, qui omnibus mundi temporibus exstiterunt, atque olim exstituri sunt. Consensus alius ab illis dari non potuit, quam interpretandus, eorum puta, qui moraliter tantum exstiterunt, qualis praedicatur etiam de illis, qui adhuc moraliter existunt. Societatis hujus universae caput repraesentativum erat Adamus. Hic agebat nomine publico & quae a posteris fierent, designavit; hinc etiam factum ejus non aliud

aliud potest haberi ac æstimari, nisi totius societatis, adeoque etiam unius cujusque membri in eadem societate. *Auctor* ille facti erat, ille ludque nomen jure sustinet; ergo illi *primum*, quod peracta actione remanet, imputatur.

Posteri illius quatenus convenerunt in designationem capitis repræsentativi, non solum, ceu complices facti ejusdem, non immerito declarari possunt, sed possunt illis etiam incommoda illa, quæ occasione facti Adamitici, inde existere, non injuriâ imputari. De hac imputatione facti alieni non est quod secus suspiceris quidpiam. eodem enim modo fuimus in Adamo nosmet, ac cives sunt in principe, qui habentur pro consentientibus ad acta publica illius. Exemplum hujus rei habemus in sacris pandectis in rege David, qui numerabat populum 2. *Sam.* 24: 2: 15. ob quod factum pestis coorta cum impetu percellerat vitam septuagies mille hominum. Convenerant jam ante cives Israël se velle ratum habere, quicquid nomine publico rex ageret, quicquid rogaret. Eo ipso ergo, iisdem, puta civibus, jure quoque imputatum est quod ille fecit. In *Causis*, quæ ad factum *conspirant*, eundem in foro civili processum obtinere res est notissima. Familix, collegia,

Igiã, civitates, oneribus ac molestiis non nullis in perpetuum addicuntur; quia posteris antecessoribus succedunt, eosque representant, sicque tacite approbare præsumuntur, quæ isti deliquerant *. Objici ab aliis solet, quod absolum esse videatur fingere *consensum* ad id, quod malum est; hinc etiam posteris Adami impossibile fuisse, præbere consentum ad ejus peccatum. In statu, qui nunc est, non sine specie illud quidem; si vero posses præmittere consentum personalem nativitati physicæ, alteram, spero sententiam neque prædamnares, ceu pondere omni destitutam. Videres certe quamlibet voluntatem eligere existentiam in nexu, & pronitate ad peccandum illâ, quæ nunc est potius, quam planè non existere; satius enim est existere incommodis licet quibusdam oneratum, quam miserè perire, aut saltem in abyssu *nibili* in æternum permanere.

Hæc sunt pauca ista, quæ de nobili atque amplissima hac materia impræsentiarum a nobis dici potuere. Tuum erit L. B. singula accurate magis executere, & si qua parte a regia pietatis atque veritatis via aberraverimus, in e-

andem nosmet facilitate, quæ hominum & sociorum esse debet, revocare.

Id in portu voveo, ut antequam in factum aliquid consenserimus homines, indolem ipsam rei, præcipue verò consecutaria illius veris pretiis æstimare possemus & vellemus; ne dum, fastidiri deinde & ceu minus consentanea statui nostro comparere incipiunt, a væcordia resipiscendi non amplius superfit locus aliquis, saltem non nisi ægre ille sperari possit, inveniriqve.

* *Beccmanni Meditat. polit. Cap. 15. §. 12.*

Soli DEO Gloria.

